



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

Liber Vndecimus. De iis qui religiosum statum à Societate mutant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)



LIBER VNDECIMVS.

De iis qui religiosum statum à Societate mutant.

Variis modi
butu mu-
tatione ali-
temitur-
tat.



DVPLEX mutatio status religiosi potest in Societate contingere: vnus est quando persona ita mutatur, vt ex religioso fiat non religiosus: alter est, quando perseverante religioso statu mutatur viuendi modus. Hic posterior modus communis est Societati cum aliis religionibus: Prior vero est proprius eius, locumque habet, non in religionis professio, sed in ceteris gradibus, qui per vota simplicia constituuntur, vt supra lib. 3. cap. 9. visum est. De priori ergo modo mutationis nihil nobis superest dicendum, quia in superioribus satis expositæ sunt causæ, ob quas in Societate hæc libertas & facultas retinetur, & quomodo, & quo ordine, & quibus ex causis illa vtiendum est, & quem effectum habeat circa personam eiectionem, nam relinquit illam liberam religionis vinculo, & votis. Quare nihil etiam dicendum superest de obligationibus talis personæ, post factam mutationem, quia cum religiosa non sit, nullas obligationes habet, quæ ad præsentem considerationem pertineant per se loquendo, per accidens vero habere poterit, quia si fortè ante ingressum in Societate voto aliquo tenebatur, id planè post dimissionem reuiviscet: nisi eius materia iam cessauerit, aut lapsu temporis transierit obligatio; quæ de re extat decretum 132. 1. Congregationis generalis: & canon. 22. eiusdem. An vero maneat tutus in conscientia, qui dedita opera male vixit, vt liber dimitteretur, in superioribus libro 3. etiam declaratum est. Quapropter de his, qui de Societate dimittuntur, nihil nobis dicendum superest. Alter modus mutationis varios habet modos, & gradus, de quibus satis diximus supra in tract. 8. libro 3. ex quibus multi, vel nihil habent speciale in Societate, vel in ea locum non habent. Vnus modus est inuoluntarius, & iniurius religioni, scilicet per fugam, vel apostasiam religiosi: & de hoc videnda sunt dicta in citato loco de religione in communi, quia si quid in hoc habet proprium Societatis, ibi declaratum est, & in superioribus etiam est dictum hunc modum habere locum in omnibus gradibus Societatis, etiam in his, qui votis simplicibus incorporati sunt, & easdem penas incurrere, &c. Alia mutatio est, vel ad Episcopatum, vel ad beneficium seculare, vel ad habitationem perpetuam extra obedientiam religionis: & hæc mutationes non habent locum in Societate secundum regulam eius: vnde vel nunquam, vel rarissimè fiunt: si autem ex speciali dispensatione fiant: sequuntur naturam religiosi status iuxta dicta in superioribus. Idemque

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

ferè est de mutatione per transitum ad alias religiones; & si quid habet speciale, supra in communi doctrina tactum est, & ex dicendis hic accipi poterit: quare in his mutationibus immorari non est necesse. Est ergo alia mutatio per dimissionem, seu eiectionem ab ipsa religione per potestatem, seu iurisdictionem eius, quæ solum contingit in professis, nam alii solent liberi dimitti, vt dictum est. Si autem aliquando dimittantur ligati, eandem proportionem seruabunt: & ideo de sola dimissione professorum superest nobis dicendum: & poterit res paucis expediri: quia præter ea, quæ communia sunt religioso statui, quæ hic reperenda sunt, pauca sunt specialia puncta, quæ aliqua declaratione indigeant.

CAPVT I.

Utrum professus possit à Societate expelli, & quas ob causas.

Cerè in primis est, in aliquibus casibus posse professum quatuor votorum à Societate expelli, vt in multis locis constitutionum declaratur. Nam 2. p. constitut. cap. 1. §. 1. *Quamuis causis ad dimissionem dignas eo grauioribus esse oporteat, quo quis artius Societatis corpori coniunctus est: quantumlibet tamen quisque coniunctus, in quibusdam casibus separari ab ea possit & debere.* Quod de separatione, per dimissionem in declaratione exponitur, & ad professos quatuor votorum in specie extenditur, cuiusque gradus (dicitur ibi) & dignitatis in Societate sint. Adeo, vt 2. p. constitut. cap. 4. §. 7. de ipsomet Generali idem dicatur, potest enim in primis à generalatu deponi iustis de causis: deinde vero si causæ obligent, etiam à Societate excludi. ex quibus constitutionibus constat, cum professio & vota in Societate fiant, iuxta constitutiones eius, nihil fieri contra iustitiam, aut contra pactum in professione inclusum, efficiendo professum iustis de causis, iuxta constitutiones, quia Societas sub hac conditione, & non alias, se obligat ad professos suos retinendos. Nec verò in eo genere contractus, est inæqualitas, vel iniustitia aliqua, vt à fortiori constat ex superius dictis de scolariibus lib. 3. cap. 2. num. 4. & ex his quæ supra tract. 8. lib. 3. in genere diximus de potestate efficiendi professos in quacunque religione. Denique hæc libertas Societatis ad efficiendos professos suos, generatim approbata est à Pontificibus, Societatem, & constitutiones eius approbantibus, & confirmantibus, & specialiter à Gregorio XIII. loco statim citando in n. 6.

Secundo dicendum est, posse Societatem expellere aliquem professum, non solum propter nimiam contumaciam & incorrigibilitatem: sed etiam

Q99 iam

Vnde confes-
prior pars.

iam propter graue crimen, quod in scandalum, vel infamiam Societatis verteretur. Prior pars communis est omnibus religionibus; ideoque satis patet ex his, quae in communi diximus. Posterior verò posita est ad explicandum, quid in hoc habeat peculiare Societas: sine dubio enim habet ampliorem in hoc genere facultatem, maioremque libertatem, quam regulariter aliae religiones habeant. Probatur ergo primò ex 2. part. consti. c. 2. vbi præter incorrigibilitatem, alia ponitur causa ob quas dimitti possunt religiosi Societatis. Et quauis illa præcipue videantur habere locum in his, qui in probationibus versantur; tamen reuera sermo generalis est, ut constat ex præced. cap. primo 2. partis consti. §. 1. in fin. vbi ita concluditur: *quantumlibet sit coniunctus Societati, in quibuslibet casibus separari ab ea possit, ac deberet, ut sequenti ca. videbitur*: ergo doctrina illius cap. 2. ad omnes de Societate, quantumvis illi coniunctos ac professos, extenditur. Est autem considerandum, causas in illo cap. 2. numeratas ad duo capita reuocari. Prius est impedimentum aliquod antecedens primum Societatis ingressum, per mendacium, vel iniustam taciturnitatem in examine, & probationibus occultatum. Hoc autem impedimentum potest esse duplex, substantiale, & accidentale. Si ergo sit ex substantialibus, non est dubium quin statim ac detegitur, etiam post professionem emissam, eiicienda sit talis persona à tota Societate. Sed illa non est omisio, de qua nunc loquimur, quia iuxta doctrinam à nobis supra lib. 2. cap. 1. datam, illa professio non est valida: tunc ergo non eiicitur verus professus, sed fictus & apparens, nec dimittitur cum votis, sed sine illis, quia illa nunquam habuit.

Impedimen-
tum anteceden-
s ingressum duplex.

De substan-
tiali impe-
dimento.

III.
Accidentale
impedimen-
tum quomodo
sufficiat
ad eiectio-
nem.

At verò si impedimentum sit accidentarium, tunc non obstat, quominus professio valida fuerit, & ideo maturius considerandum est, an eam ob causam debeat eiici professus. Quod enim possit, videtur colligi ex dicto cap. 2. §. 3. & 5. quia illa doctrina, ut dixi, generalis est: tamen, quia moraliter difficillimum est, etiam si in principio huiusmodi defectus occultetur, tanto tempore, & per tot, tamque diuturnas probationes non detegi, & cognosci à Societate: ideo quando tales defectus (ut sunt, v.g. antiquus morbus, ingens æs alienum, & similes) non cognoscuntur publice vsque ad professionem factam, moraliter præsumitur Societatem illos non ignorasse, sed dissimulasse propter aliquod maius bonum. Quod si ita contigerit, non habebit iam Societas ius dimittendi talem personam propter illam causam, quia voluntarie consensit in eius professionem, illa non obstante. Posito autem casu in quo cesset præsumptio, & re vera constet defectum latuisse vsque ad factam professionem, tunc ulterius duo ponderanda sunt: vnum est, an res sit adeo grauis, ut merito censeatur Societas inuoluntarie admisisse talem professionem cum absoluta obligatione retinendi talem personam, non obstante tali defectu: aliud est an defectus ille, qui fortasse fuisset sufficiens ad non admittendam talem personam, satis etiam moraliter sit ad prudenter dimittendam illam: quia turpis eiicitur, quam non admittitur hospes, etiam si fortasse per aliquam piam, vel indiscretam deceptionem admisisset. Ponderandum ergo est, quid maioris momenti sit, vel scandalum, aut rumor, qui ex huiusmodi eiectioibus oriri solet, vel damnum Societatis in retinenda tali persona: si enim hoc damnum non sit magni momenti, nec redundet in res spirituales, aut in decentem famam, aliud remedium videretur adhibendum: quanquam in rigore potestas dimittendi non desit, qua etiam uti licebit, & expediet, si nocumentum Societatis grauius

fit. Quæ omnia sunt consentanea declarationibus illius c. 2. littera B.

Posterius caput causarum huius dimissionis esse potest vitium aliquod, aut peccatum post ingressum in Societatem commissum. In quo est vitium, si ante solennem professionem intra Societatem commissum, vel post illam. Quando est prioris modi, minoris est considerationis: tum quia iam supponitur emendatum: (nam si adhuc duraret, non tamen posset dici solum ante professionem commissum, sed etiam post, nam ipsa perseverantia peccatum nouum est: esset ergo antea inchoatum, postea verò quasi consummatum, quod non minueret, sed augeret causam eiectiois propter duritiam & insubdescientiam); tum etiam, quia tale peccatum supponitur in ipsa professione extinctum, ac plane dimissum, & ideo si non reincidentur in illud, nec sit morale periculum recidui, quod auferri non possit intra Societatem, non est sufficiens causa eiectiois, nec potest iuste puniri talis persona, regulariter loquendo. Quod si contingat tale delictum esse occultum vsque ad professionem factam, & ita licet forte quoad Deum fuerit dimissum, in foro tamen humano non esse vindicatum: postea verò publice detegi, & infamiam, aut scandalum oriri cui non possit nisi per eiectioem occurrere, fieri aliquando poterit, sed raro (ut existimo) id expediet, aut licebit: quia semper poterit præterita culpa aliis modis ita puniri, ut infamia & scandalum sufficienter tollantur; & ideo cum apud Deum iam sit omnino dimissa (ut suppono) per professionem, & in futurum non pendeat, non est rationabilis causa separationis.

De peccato autem commissio post ipsam professionem, alia ratio est, etiam si emendatum appareat, tum quia per illud maior iniuria fit Societati professæ, magisque illius famam & exultationem eleuat, & ideo sæpe potest esse necessarium ad bonum nomen Societatis conferendum, vobis huiusmodi causam quipsam eiiciatur. Tum etiam, quia de tali persona minor spes concipi potest, quod verè emendata sit, aut certe quod in penitentiam stabilem emendata sit; ita ut sit perseverantia inter eas occasiones, & pericula in quibus professus Societatis necessario versari debet. Et ob hanc specialem rationem existimo Societati permittendum esse, ut maiorem in hoc licentiam habeat, etiam circa professos suos, qui & apud proximos, & propter ipsum bonum magis indiget bono nomine, & quadam maiori fiducia, & veluti securitate suorum ministrorum, quod nomen maxime conseruabitur, si omnes intelligent infideles ministros esse à Societate dimittendos, etiam si professi sint: & ad bonum ipsum professorum est maxime conueniens propter pericula, in quibus versantur, ut in illis cautiore sint. Quod etiam maxime confirmatur ex his quæ de Præposito Generali dicuntur 9. p. consti. cap. 4. §. 7. vbi casus numerantur, in quibus per Societatem deponi potest: *Causæ quædam sunt, quæ sunt peccata mortalia in externum actum prodeuntia, copula carnalis, vulnerare quenquam, redditus Collegiorum usurpare ad proprios sumptus, vel extra Societatem donare, vel stabilia bona Societatis alienare, vel prauam doctrinam habere*. Propter hæc ergo si sufficientissime content deponendus dicitur: & additur. *Et si quis est à Societate remouendus, &c.* Quæ limitatio, si opus est, indicat plus requiri ad expellendum illum, quam ad eum officio priuandum: & meritò, quia maior est poena maioremque causam & pertinaciam requirit. Nihilominus etiam in illa persona non postulat in incorrigibilitas, & pertinacia: sed prudentiali iudicio Societatis relinquitur, præ oculis habendo, quod

Confirmatur
etiam à
Præposito
Generalis
c. 9. p. consti.

ad maiorem Dei gloriam & vniuersale bonum Societatis fore iudicabitur. Igitur à fortiori in quolibet alio, similes causæ sufficiunt, eademque regula maioris boni vniuersalis seruanda est: nam, vt dixit Pelagius Papa c. Scit 7. quæstion. 1. Plurimorum utilitas, vnius utilitati, aut voluntati preferenda est.

VI. Tandem id declaratur ex speciali Bulla Gregorij XIII. concessa mensè Septembri anni 1582. quæ incipit: Cum aliis, &c. in qua concedit facultatem Præposito Generali, vt possit ex causis iustis quemlibet professum à Societate eicere, vel vt ad aliam religionem etiam laxiorem transeat, facultatem concedere. In qua Bulla primum omnium perpendendus est tenor, & discursus eius. Prius enim proponit dubitationem subortam, an Præpositus Societatis valeat professus ex causis id exigentibus à Societate emittere, aut eis sic emissis liberum sit de eius licentia se ad quemvis alium ordinem transferre. Et ratio dubitationis fuerat, quia Paulus III. & Pius IV. statuerunt vt nemo de Societate possit ad alium ordinem transire (Carthusienium excepto) nisi de licentia Romani Pontificis, aut Præpositi Generalis Societatis. Vnde per illam exceptionem videbatur iam hæc facultas Præposito concessa: quia verò non erat directè facta concessio, nec satis in particulari, nec cum sufficiente declaratione, idè fortè oriebatur dubitatio: ad quam Gregorius XIII. non videtur directè voluisse respondere, sed nouam facere concessionem pro futuro tempore, dicens: Nosre perpenſa atque diligenter examinata Societatis ipsius puritati, atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volentes, statuerunt vt deinceps in perpetuum liceat dicto Præposito, quos iudicauerit ab ipsa Societate emittere, &c.

VII. Per quæ verba vt ex eorum tenore constat, nihil de dubitatione proposita, quoad potestatem, quam antea Præpositus habebat, respondet, sed in posterum eam dubitationem abtulit, absolutam facultatem concedendo. Per quod tamen, vt existimo, non intendit negare, quin antea potestatem hanc haberet, sed quia parum referebat, ab illa quæstione abstinuit, & absolutam facultatem concessit. Hæc verolice nunc clarior, & certior sit, non tamè magis ampla, vt opinor, quoad potestatem dimittendi professos in iustam penam delictorum: nam hæc expulsi iure communi concessa est. Et sicin Bulla Pij dicitur iustis de causis posse Præpositum quoslibet expellere: & quoad hoc eodem modo intelligi potest quod Gregorius dicit, quos iudicauerit, possit à Societate emittere: nam hoc iudicium semper intelligitur debere esse iustum, atque adeo iustis de causis fieri debere, vt amplius sequenti capite intelligetur. Quia verò hoc non limitatur ad pertinaciam, & incorrigibilitatem, ideo in eadem amplitudine concedi censetur, qua fuerat in constitutionibus declaratum.

CAPVT II.

Vtrum professus in Societate possit ad aliam religionem transire, & quomodo?

I. IN Bulla Gregorij XIII. superiori capite allata non solum concedit Pontifex potestatem ad expellendos professos, sed etiam ad licentiam eis dandam, vt ad alios ordines, vltra Carthusienses, transferri possint, iustis de causis, sed iudicio Præpositi Generalis. Quæ duo, scilicet, expulsiō, & transitus, diuersa sunt, nam expulsiō, vt ex præcedenti capite constare potest, habet rationem poenæ, vnde habet pro causâ adæquatam culpam aliquam grauem, & re-

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

gulariter incorrigibilem: transitus verò non semper est poena, & fieri potest non propter culpam, sed ob alias causas. Dubitari ergo potest an ex vi illius indulti habeat Generalis facultatem concedendi professum, qui nihil peccauit, licentiam transeundi ad aliam religionem, ipso nimirum petente & efflagitante, vel saltem voluntariè acceptante: nam si ipse nolit ac resistat, certum est iure nō posse expelli, nec cogi, vt ad aliam religionem transeat, tum quia habet ius perpetuū viuendi in hac religione, & bonis eius fruendi, quo iure sine culpa vel voluntate sua priuari non potest: tum etiam, quia nemo potest compelli vt aliam religionem profiteatur, transitus autem ad aliam religionem, nouam in illa professionem requirit, seu ad illam ordinatur. De consensu autem eius dubitari potest propter illa verba Greg. XIII. Dubitari contingit an Præpositus pro tempore existens, valeat etiam professos ex causis sic exigentibus à Societate emittere, aut eis sic emissis liberum sit de illius licentia se ad quemvis alium ordinem transferre? Et infra: Nos Societatis puritati, atque incremento & emissorum saluti consulere volentes, &c. & infra: liceat dicto Præposito, quos iudicauerit ab ipsa Societate emittere, eosque de illius licentia, &c. Ex his enim verbis omnibus colligi videtur Præpositum Generalem solum posse dare hanc licentiam transeundi ad aliam religionem his, quos posset à Societate eicere: nam quæstio solum mota erat, de sic emissis, & ratio facultatis est cōsulere emissorum saluti. Et eosdem emissos, seu eiectiones refert illa particula eosque, in vltimis verbis quib. licentia Præposito datur. Cum ergo nullus professus possit à Societate eici sine culpa, & facultas hæc transeundi ad aliam religionem solum possit dari iustè eiectionis, non videtur posse à Generali propter alias causas, sed solum supposita sufficiente ratione eiciendi professum à Societate, etiam inuitum; tunc enim ipso acceptante poterit ei concedi vt ad aliam religionem transeat.

Nihilominus probabilius cenſeo posse Præpositum Generalem dare licentiam professu Societatis transeundi ad quamcunq; aliam religionem ex iustis causis, etiam illa propriam culpam, vel incorrigibilitatem non includat. Quod quidem respectu strictioris, aut æqualiter strictæ religionis fundari posset in iure communi, quia, vt supra tractat. S. libro 3. vidimus, transitus hic licitus est de consensu Prælatorum vtriusque religionis, à qua, & ad quam tranſit sine dispensatione Papæ, solo iure communi quod etiam in Societate locum habet: quamquam nonnulla ratio dubitandi in eius professis oriri possit ex quarto voto obedientiæ, quod specialiter Pontifici faciunt: nam per professionem in alia religione necesse est hoc votum extingui, vt supra vidimus. Ergo ex hoc capite videri potest specialiter necessaria in his professis Societatis, licentia Pontificis, propter speciale ius illi acquisitum. Sed nihilominus hæc ratio non vrget saltem respectu strictioris religionis, quia omnia huiusmodi vota censentur includere conditionem, dummodo maius bonum non impediatur. De æqualiter verò stricta religione est illa ratio apparentior: sed nihilominus solui potest, vel quia commutatio in æquale licita est in votis, iure communi, etiam si talia vota respiciant tertiam personam, præsertim quando non intenditur commodum ipsius tertie personæ, sed potius voutentis, vel Dei obsequium: vel quia hoc votum est annexum professioni, & sequitur conditionem eius: vnde si professio est commutabilis in æqualem, etiam si vna sit quatuor votorum, & alia trium, si omnibus penſatis, nihilominus est æqualitas, fieri poterit commutatio, & accessorium sequitur naturam principalis.

At verò respectu religionis laxioris aliter pro-

Q99 :

banda

Arguitur cōtra i. partem tituli.

II. Assertio affirm. bipart. ita.

Probaturs prior pars, quoad strictiorem religionem.

Item quoad æq. & strictam.

III.

Nec etiam
volentem ad
aliam reli-
gionem
transmitti.

ter Societati, nam in omnibus fit mentio de transi-
tu ad aliam religionem, non de exitu simpliciter. Item
quia alio modo facta esset irrationabilis talis cie-
ctio, & in detrimentum status religionis: quod si sub-
sit causa dispensandi, ad Pontificem pertinebit. Nec
etiam potest in eo casu Societas cogere professum
suum, ut ad aliam transeat religionem si nolit, quia
nec absolute potest directè cogere, ut à fortiori pa-
teret ex dictis in proximo punctum num. præc. nec in-
directè sub aliqua conditione onerosa, quæ excedat
suum regularem vivendi modum, quia nullum ha-
bet ius illam imponendi.

IX. Igitur solum potest licentiam dare ei, qui vult
transire ad aliam religionem. Hanc verò respectu
strictioris facile potest dare, existimo tamen practi-
cè, & ad hunc finem nullam debere indicare stric-
torem, vel severiorem, rebus ut nunc stantibus,
præter Carthusiam, quia nec Pontificis aliam exci-
piunt, nec facile inveniunt poterit, si omnia specten-
tur, quæ supra de rigore regulæ Societatis lib. I. c. 9.
explicauimus. Ad dandam ergo licentiam transeun-
di ad quamcunque aliam religionem, magna causa
necessaria est, tantòq; maior, quanto religio minus
fuerit perfecta, vel stricta. Quia in hoc consulendum
in primis est religioni, quæ detrimentum patitur,
dum priuatur quodam membro iam consummato
& perfecto, & omnibus laboribus & expensis cum
illo consumptis. Deinde etiam bono ipsius religio-
nis, ne detur illi occasio, ut deterius, aut minus perfe-
ctè viuatur. Igitur optima causa erit, & ferè unica, si
ad ministeria Societatis quispiam iudicetur inutilis,
quia sc. est inhabilis, vel quia non applicatur, nec
moraliter applicari potest, sine maiori suo detri-
mento: tunc enim ex consensu vtriusq; partis pote-
rit fieri diuortium per transitum prædictum: & ad
hoc est sufficiens auctoritas in Societate à Gregor.

XII. concessa.

X. In quibus autem personis Societatis sit hæc au-
thoritas, ex eisdè relapsis Pontificis manifestum
est. Nam solus Præpositus Generalis à eis nomina-
tur, eique facultas hæc conceditur: nullus ergo alius
Præpositus, siue Provincialis, siue localis iure ordi-
nario hanc habet potestatem, quia verò in prædictis
Bullis non restringitur hæc facultas, ut necessariò
debeat per ipsum Generalem immediatè exerceri,
ita ut delegabilis non sit: ideo non est dubium, quin
possit illam aliis delegare, ut expresse supponitur 2.
parte constit. c. I. lit. C. ubi additur, rarius esse hanc
potestatem communicandam inferioribus Præpo-
sitis, & non nisi in speciali, & postquam res ad Ge-
neralem esset delata, & graui considerationi expen-
sa foret.

XI. Solum dubitari potest, an Societas tota habeat
hanc potestatem, id est, an Congregatio generalis
illam habeat, siue cogatur viuente Generali, siue se-
de vacante. E ratio dubitandi est, quia in prædi-
ctis Bullis nunquam datur hæc potestas Societati,
sed Præposito. In contrarium autem est, quia non
videtur dari Præposito, nisi in quantum suo modo
representat Societatem, & ab illa proximè habet
potestatem. Quia enim communiter suprema So-
cietatis iurisdictio per illum exercetur, & hæc fa-
cultas datur ad ordinarium regimen, ideo illius fa-
cta videtur mentio, illique conceditur potestas: ta-
men intentio Pontificis fuisse videtur illam dare
Societati principaliter, cum ipsa sit Generali supe-
rior. Confirmatur, quia in eo casu, in quo Gene-
ralis congregatio posset Præpositum suum à mune-
re deponere, & à Societate expellere, potest vtrum-
que facere per seipsam, & antequam alium Gene-
ralem eligat, ergo etiam poterit Præposito sic cie-
cto facultatem concedere transeundi ad aliam reli-
gionem. Item si in Congregatione generali coram

ipsomet Præposito tractaretur de alterius professi
electione, vel transitu ad aliam religionem, non vi-
detur posse Præpositus contra sententiam Congre-
gationis illum expellere, aut talem facultatem da-
re, quia cum congregatio sit superior, verisimile nò
est, datam esse hanc potestatem Præposito, ita ut il-
la ut possit contra voluntatem sui superioris. Item
cum principaliter sit data in bonum Societatis, non
videtur eius usus concessus contra voluntatem to-
tius Societatis. Igitur Præpositus in illis locis Socie-
tatem representat. Unde videtur fieri consequens
in potestate Congregationis generalis esse, hanc po-
testatè limitare Præposito, ut nimirum illa ut non
possit sine consilio, vel etiam sine suffragio vnius,
vel plurium, aut alio simili modo. Quia ita intelli-
gitur hæc potestas concessa Præposito, ut principa-
lius sit concessa toti Societati, quæ non nisi in Con-
gregatione generali existit, vel representatur: ergo
potest dicta Societas, si iudicauerit sibi expedire, si-
bi potestatem illam reservare, vel aliquem modum,
aut limitationem illi addere.

Huius autem vltimæ illationi videntur obflare il-
la verba Greg. XIII. *Statuimus ut deinceps in perpetuum
liceat dicto Præposito, &c.* Nam iuxta eorum vim nullus
inferior Pontifice potest Præpositum hac potestatem
priuare, nec ponere modum, quem Pontifex non
posuit. Quis enim potest voluntatem Pontificis li-
mitare, aut impedire? ipse autem absolute & sine
restrictione ait: se concedere Præposito hanc po-
testatem in perpetuum: ergo nunquam potest illa
priuari, nec immutari, nisi per alium summum
Pontificem. Dicere autem, subintelligi subordi-
nationem & dependentiam à Societate, propterea
quod congregatio sit supra Generalem, voluntaria
est, ideoque improbabile, utpote contra ab-
solutam formam verborum: & sine sufficiente ra-
tione, siquidem non obstante illa subiectione Ge-
neralis ad congregationem, potuit Pontifex con-
cedere absolute & simpliciter hanc facultatem huic
dignitati Præpositi, quia licet in casu possit habere
superiorem intra Societatem, scilicet quando ge-
neralis congregatio actu coacta est, tamen regula-
riter & ordinariè illum non habet. Pontifex au-
tem videtur attendisse ad ordinarium modum gu-
bernandi, & ad dignitatem illius muneris Præpo-
siti generalis. Ergo licet Præpositus Generalis à
Societate emanet, & potestatem habeat ordina-
riam, nihilominus postquam semel electus est,
aliquam potestatem habere facultatem à Summo Pon-
tifici, quæ non potest priuari per ipsam Societa-
tem, quandiu Generalis est, seu nisi munere Præ-
positi priuetur. De qua re est optimum exemplum
in Bulla eiusdem Gregori XIII. concessa anno 1575.
die 3. Maij quæ incipit, *Debet Romanum Pontificem*,
in qua distinctè concedit plures facultates Socie-
tati & Præposito eius, & postea concedit, ut aliæ
personæ Societatis non possint uti gratis con-
cessis Societati, nisi per Generalem Præpositum,
& de eius beneplacito. Vbi sine dubio loquitur
de propria persona & munere Generalis: nec pos-
set vniuersa Societas immutare hunc modum
gaudendi priuilegijs & gratijs à Pontifice præscri-
ptum; quia Pontifex voluit hanc potestatem esse
penes Generalem: idem ergo in præfati dicendum
est.

Ergo quod attinet ad hoc vltimum punctum,
seu illatum: non potest Præpositus per Socie-
tatem priuari potestate sibi à Pontifice concessa ad
expellendum professum, vel dandi ei facultatem
transeundi ad aliam religionem iustis de causis.
Quod verò spectat ad superiora puncta, ex quibus
illatum colligebatur, consequenter videtur pro-
babile soli Generali hoc datum esse, quia verba

XII.

XIII.

Resoluto
circa disputa-
tione in n. 11.
§ 12.

Q 99 3

indul-

indulti hoc sonant, & interpretatio de representatione Societatis in ipso Generali, est noua & iniustata, vt patet ex alia Bulla citata, & multis similibus. Vnde quandiu Præpositus viuit, probabile est. Congregationem etiam generalem non posse id facere sine consensu eius, propter rationem factam, quia illi data est potestas. At verò generalatu vacante probabile est congregationem habere potestatem: quia Capitulum succedit loco Prælati in omnibus potestatibus ordinariis eius: & hæc potestas iam competit iure ordinario Prælato Societatis. Quidquid verò sit de hoc scholastico rigore, securius est, non vti tali potestate ante electionem Generalis. Nam de vicario Generali, qui ad gubernandam Societatem eligitur mortuo Præposito, dicitur in eius reg. 9. non posse aliquem professum à Societate emitte: & ibidem significatur rem hanc adeo grauem reputari, vt restanda non sit in eo casu ante electionem noui Generalis. Vnde sit tandè; vt in eo casu, in quo Præpositus ipse deponendus & expellendus esset, depositio ab officio præcedere debeat, non verò fieri possit à Societate expulsio, donec alius Præpositus electus sit, cuius auctoritate, & iudicio, simul cum tota congregatione, si oportuerit, id fiat.

*Electio vni-
us Generalis
supponit elec-
tionem al-
terius.*

CAPVT III.

*Ad quid teneatur professus à Societate electus,
vel qui quouis modo ab illa deficit,
seu mutatur.*

I. **H**æc quæstio in coadiutoribus formatis moraliter loquendo locum non habet: quia hi post sunt expelli liberè ab obligatione votorum, & si aliquando eiiciantur, ita vt in seculo manere possint (quod raro accidit) votorum vinculis liberantur, quicquid sit de iis votis, quæ fortè in seculo nuncupauerant, vt de scholasticis tractatum est li. 3. ca. 4. à n. 23. quo fit vt nulla speciali obligatione postea teneantur: quia votorum dissolutio (vt supponimus) valida est, quibus sublati, non est vnde maneat specialis obligatio. Itaque in eo casu eadem ratio de his est, quæ de scholasticis approbatis. Si autem contingeret huiusmodi coadiutorem formatum expelli sine absolutione ab obligatione votorum, vel cum onere ingrediendi religionem, vel simpliciter & absolute, sic eadem de illo ratio est, quæ de professu trium votorum, nam quoad obligationem eadem est in votis simplicibus, quandiu manent, quæ in solennibus.

II. Veniendo ergo ad professum Societatis dupliciter potest expelli à Societate; primò cum onere ingrediendi religionem aliam, vel redeundi ad Societatem, si illam non profiteatur: secundò expellendo illum sine spe receptiouis, & sine speciali obligatione, præter eam, quæ ex professione ex natura rei nascitur. Prior casus nullam habet difficultatem: supponimus enim in primis, quòd licet religiosus dum eicitur, non possit à suis superioribus obligari ad ingrediendum religionem aliam, vt supra probatum est tractat. 8. libro 3. estque eadem ratio de professu Societatis. Nihilominus per modum pacti mutui potest ab hoc obligari: cum enim professus eicitur propter sua demerita condemnari potest, vt vel talem, tantam, ac tam diuturnam penam in Societate sustineat, vel si malit, talem, vel talem religionem profiteatur. Si ergo ipse hanc posteriore conditionem potius quam priorem acceptet, tenebitur sine dubio, vel illam implere, vel ad Societatem reuerti, quia sententia fuit iusta (vt supponitur) & illam religiosus

acceptauit, eamque implere specialiter promissit. Quocirca si ille conditionem implet, & cum effectum religionem aliam profiteatur, cessat omnis superior obligatio, & solum tenetur ad seruandum id, quod denuo professus est, siue sit strictior seu laxior religio: quia commutatio est legitime facta: solum posset dubitari de quarto voto professorum Societatis, & de aliis votis simplicibus eorum. Veruntamen idem dicendum est: nam cum duæ professiones sint repugnantes, si posterior valida est, extinguit priorem, & consequenter, quidquid illi annexum est, item propter alia quæ statim dicam.

Si autem talis eiectionis conditionem non seruet, siue omnino non ingrediendo aliam religionem, siue post ingressum, illam relinquendo ante professionem, tenebitur ad Societatem redire: quòd si subterfugiat, iam non vt eiectionis, sed vt apostata & fugitiuus iudicandus est: quia non fuit absolute eiectionis, sed sub conditione, illa verò non impleta; eiectionis est nulla, quia conditionalis, non impleta conditione, nihil ponit in effectum, ergo eo ipso, quòd incipit esse in mora, incipit esse transfuga, & apostata, & consequenter tenetur omnibus obligationibus siue religionis, & censuris apostatarum, de quibus supra in genere dictum est.

Dices, si ille redeat ad religionem, grauitur puniendus est: & fortasse perpetuo carcere includendus, vel alia simili pena afficiendus: nemo autem tenetur seipsum tam graui penæ offerre: ergo potest fugere, & non redire ad religionem. Quod maximè videtur procedere, quando bona fide aliam religionem probauit, & iustis de causis illam non est ausus prohiberi, quia tunc iam videtur fecisse quod in se est ad bonum prosequendum (vt sic dicam,) se autem tradere, vt grauius poenis affligatur durissimum est, nec videtur ad hoc obligandus. Respondeo religiosum sic se sub tali conditione eiectionis semper teneri ad statum religionem, nec posse tuta conscientia in seculo manere; & ideo teneri religionem susceperam, & in conditione positam, atque acceptam profiteri, quod moraliter ac regulariter loquendo, semper poterit: si autem reuera habet legitimas causas non proficendi, tenebitur eas proponere Prælati Societatis, vt facultatem faciat aliam religionem faciliorem ingrediendi, quod semper facient: alioqui tenebitur ad Societatem redire, nisi reuera timeat graues corporales penas diuturnas, vt carcerem perpetuum, & similes, nam tunc ad prouidentiam Prælatorum pertinebit ita reum custodire, vt redire ad suam obedientiam, & correctionem cogatur: obligare enim illum, vt ipse se tradat, certus de huiusmodi poenis difficilis est. Quia verò penæ ordinariæ non sunt adeo graues, neque excedunt modum disciplinæ religiose: quæ magna ex parte pendet ex bona dispositione peccatoris: nam si voluntariè emendetur, & satisfaciatur religioni, facilè alia penæ temperantur: ideo regulariter etiam verum est hunc teneri in eo casu ad religionem redire.

Supereft dicendum de alio casu, quando professus absolute dimittitur. In quo in primis locum habent omnia quæ de obligatione ad castitatem, paupertatem, & obedientiam seruandam dicta sunt, tractat. 8. libro 3. in communi de eiectionis à religionis, quia est eadem proportionalis ratio. In Societate vero sunt speciales difficultates de aliis votis: quæ professi emittunt, in primis de voto obedientie ad summum Pontificem in missionibus, nam professio integra manet: ergo & votum illud, & obligatio eius: talis enim est, vt extra religionem impleri possit. Idem est de votis simplicibus, præsertim de

III.
Dicitur enim
in regulis,
quod si
apostata sit

IV.

V.

VI.
Causa de
professu
alioquin

Voto non ambiendi, nec acceptandi dignitatem extra Societatem: nam hoc per se est optimum, & potest in quocunque statu seruari, & votum absolute factum est: vnde etiam durat post electionem. De aliis autem votis simplicibus minor est difficultas: nam materia eorum manifestè requirit actualem vitam, & coniunctionem in Societate, & ideo eorum obligatio cessat, vel suspenditur in eo statu. Veruntamen idem dicendum censéo de aliis duobus votis; imò generaliter de voto obedientie existimo non posse professum eiectionem ex vi illius obligari ad ministeria Societatis, vt ad docendam doctrinam Christianam, ad audiendas confessiones, & similia. Nam religiosus eiectionis non tenetur seruare regulam; vt supra tractat. §. lib. 3. suo loco dixi: ergo nec professus Societatis regulam Societatis: ergo nec potest obligari ratione voti ad seruandam illam, sed occupari in his ministeriis solum est ratione regulæ, & in tantum possunt præcipi, in quantum sunt secundum regulam: ergo talia præcepta non habent locum circa eiectionem, quandiu extra Societatem manent.

Eius vota
simplicia
cessant.

VI.
Imò, &
quandiu
votum so-
lemus.

Ita ergo dicendum censéo de obedientia Pontifici præstanda circa missiones; nam illa etiam promittitur secundum regulam & constitutiones Societatis: qui ergo iam non agit vitam secundum regulam, neque ad id tenetur, non poterit obligari ad implendum illud votum durante illo statu: quia reuera cessauit materia eius. Confirmatur, quia ita necessariò interpretanda est intentio vouentium, & instituentium talia vota: tum quia nemo promittit sustinere onera religionis nisi in ipsa religione, & adiutus spiritu, prouidentia, auctoritate, & aliis auxiliis eius; quæ omnia maxime necessaria sunt in re adeò difficili, & ardua, vt est obedire in huiusmodi missionibus. Tum ex illo generali principio, quod nulla promissio obligat, quando tanta sit mutatio in statu promittentis, vt verisimile non sit eius intentionem fuisse pro illo statu se obligare; de quo tractat. 6. libro 4. de voto, cap. 9. multa diximus: talis autem mutatio in præsentis casu manifestè procedit, nam longè alia est conditio religiosi actu vniuersi suæ religioni, qui vt membrum eius mouetur: vel separati, qui nec à religione mouetur, nec in eius finem tendit. Atque hic discursus aequè probat de voto simplici non querendi, vel acceptandi prælationem; nam vltus eius erat accommodatus religioni, durante vnione ad illam; mutato autem statu minimè. Vnde etiam tunc cessat ratio talis voti in constitutione expressa, quæ mentem eius, & intentionem declarat. Est autem ratio in 10. p. Constitutionum §. 6. *Vt perpetuo felix status Societatis conseruetur.* Postquam autem aliquis à Societate eiectionis est, nihil ad statum eius refert, quod dignitatem ambiat, vel accipiat. Item ne Societas his hominibus, qui ad propostum sibi finem sunt ei necessarij priuatur. At hic eiectionis nec Societati necessarius est, nec illo priuabitur, etiam si Prelatus fiat, quia iam priuata supponitur. Item vt vnusquisque videat qua ratione animarum salutem iuxta nostram professionis humilitatem, & submissionem inferuire possit. At eiectionis iam non tenetur ad hunc finem aspirare, nec illi incumbere. Cessat ergo in his eiectionis talium votorum obligatio, vel potius necessarius vsus, quandiu in eo statu permanent: nam si contingat iterum in Societatem recipi, vota integra manent, & statim obligare incipiunt.

Distia vota
vniuersi
si professus
renouetur.

VII.
Quia obli-
gatio, & durat
in professu
mutato ad
alterum sta-
tum.

Ex his inferitur idem dicendum esse de omnibus transitis à Societate in alium statum altiorè, nam de transitu ad aliam religionem per professionem eius, dictum iam est: idem ergo est si professus Societatis fiat Episcopus, vel Cardinalis, non enim tenetur amplius voto obedientie circa missiones, nec

voto non ambiendi, aut non acceptandi altiore dignitatem, propter easdem rationes, vt etiam supra tetigi de his votis tractando. Solumque manet ex votis simplicibus illud, quod per se, & ex materia sua ad hoc ordinatur, vt in eo statu obliget, vt ibi etiam exposuimus: vnde fit vt de his transitis à Societate ad Episcopatum, vel altiore dignitatem nihil nobis dicendum super sit, præter ea, quæ communia sunt omnibus religiosis Episcopis, & quæ de illo speciali voto diximus. Nec etiam de transitis ad aliam religionem, quia factò transitu legitime, & valide, ille perinde reputatur, ac si in Societate nunquam extitisset.

Vt autem talis transitus legitime fiat, oportet vt iuxta privilegia Societatis seruentur, quæ autem illa sunt, attigimus supra in libro 3. tractantes de votis scholarium, & summa est vt transitus non fiat sine licentia obtenta Præpositi Societatis ordine Carthusiensium duntaxat accepto, iuxta Bullam Pauli III. anni 1549. *Licet debitum*, vbi ingressus aliter factus irritatur, & persona vt apostata condemnatur; & latius confirmarunt Pius IV. & V. in Bulla anni 1565 *Aequum reputamus*. Idem autem Pius V. viuz vocis oraculo, & Gregorius XIII. in Bulla anni 1584. *Dilecte fili*, circa superiorem exceptionem de transitu ad Carthusianos limitationem addiderunt, vt nimirum semel liceret, non aut bis, aut sæpius, sine consensu Societatis Præpositi. Quæ gratiam ita Societatis voluit Gregorius esse propriam, vt per viam communicationis non posset ab aliis religionibus participari. Cum licentia autè Præpositi fieri potest hic transitus etiam à professis: non solum ad arctiorem, sed etiam ad laxiorem religionem iustis de causis, vt idem Greg. XIII. declarauit in Bulla anni 1582. *Cum alias*, post quem transitum, si professio subsequatur in alia religione, liber (vt diximus) manet professus Societatis ab omnibus aliis votis specialiter in Societate emissis, sicut manet liber ab obedientia Societatis. Si autem non sequatur professio, redeundum illi necessariò est ad Societatem, nam omnia vota, omnisq; eorum obligatio integra manet: nec de hoc transitu plura hic dicere necesse est.

Vltimò colligitur ex dictis per contrariam rationem longè aliter iudicandum esse de professio apostata, vel etiam sine peccato apostasia extra Societatem, & cum exemptione etiam ab obedientia eius ex dispensatione Pontificis commorante. In vtroque enim omnium votorum obligatio integra perseuerat, & de apostasia quidem id patet, quia ligatus manet omnibus votis, & iure actu subiectus Societati, ad quam redire tenetur. Item quia omnis apostata tenetur, etiam pro illo tempore ad observationem regulæ, quantum in se est, quia non debet iniquitas ei patrocinari, vt supra ostensum est: ergo multo magis tenetur ad specialia vota seruanda, quæ secundum regulam fecit. Denique rationes factæ de eiectione non militant in profugo, imò si attentè considerentur & applicentur contra apostatas conuincunt.

De aliis verò extra Societatem manentibus, de licentia Papæ, etiam si in eius palatio, & sub immediata obedientia eius viuere contingat, certum est professionem, & statum antiquum in eis manere integra: ergo & omnis obligatio votorum quantum in se est. Quod addo, quia si talis persona sit exempta ab obedientia Societatis, protunc non tenebitur, ex vi quarti voti obedire Generali in missionibus, sicut non tenetur in aliis rebus. Votum tamen ipsius de obediendo Pontifici in missionibus integrum, & speciale manet. Atque eadem ratione perseuerat votum non ambiendi dignitatē intra, vel extra Societatem, nec acceptandi illam extra Societatem.

VIII.

Conditiones
legimitatæ.
sunt ad a-
liam reli-
gionem.

IX.

Apostata
nullas obli-
gationes vo-
torum ex
seruat.

X.

Quid de ma-
nantibus ex-
tra Societa-
tem de li-
centia Papæ.

Societatem, nisi præcipiatur, quia obligatio horum votorum non pendet ex actuali obedientia ad Præpositos Societatis, sed per se, & rectè obligat in tali materia, quæ in illo etiam vitæ genere locum habet. Item talis persona adhuc est membrum Societatis, substantialiter (ut sic dicam) illi coniunctus, licet quoad actuale usum aliquo modo separata sit, illud tamen sufficit, ut in eo locum habeant rationes omnes horum votorum, & præsertim ea, quæ respicit conservationem Societatis in sua puritate, & felici statu, qui maximè perturbari posset, si tales personæ possent in ea dignitatem ambire, sine violatione sui voti. Imò facile possent

illo modo dicta vota eludi, procurando prius exemptionem à Societate, & postea ambiendo: non est ergo dubium quin maneat tunc integra obligatio. Neque difficultas alicuius momenti circa hoc occurrit. Atque hæc de toto religioso statu, atque instituto Societatis Iesu, si non quantum eius dignitas, atque excellentia postulabant, certè quantum ingenii mei vires affecuræ sunt, tractanda occurrerunt, ad laudem & gloriam eiusdem IESU, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

